# Exequiarum ſolennitati

Juvenis

*Pietate, Moribus, Literis*

*Ornatiſſimi,*

# DIETERICI STADLANDERI,

*Opt. Artium & SS. Theologiæ Cultoris ſtudioſiſſimi;*

Nati STETINI, Anno CHRISTI 1623. die 7. Novembris; denati ibid. Anno 1642. d. 4. Januarij, ætatis ſuæ Anno 18. Mens. 2. humandi in Æde Divo JACOBO ſacra, d. 11. ejusd. Januarij;

*Ut omnes & ſinguli in Illuſtri Pædagogio Studioſi Juvenes, frequentes & condolentes interſint, atq; eo ipſo Commilitoni quondam ſuo ultimum honoris & caritatis officium præſtent, hortatur, vacante Rectoris loco,*

M. HEINR. KIELMANNUS, ejusd. Pædag. ConR. Gr. L. & Poës. Prof.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.

14

*Haud inconcinnè Salomon Rex sapientissimus vitam humanam nubis ac nebulæ, in aëre aggregatæ & coactæ, rursusq; inde pulsæ & fugatæ, vestigiis comparat. Nam veluti nebula, aut nubes, licet modò generata & exorta, non diu permanet, sed subitò & opinione citiùs discussa resolvitur ac perit, utpote res suâ naturâ inconstans & minimè durabilis: ita etiam cum hac misera & ærumnosa vita comparatum est, ut per se sit brevis & fluxa, fragilis & caduca, imò & infinitis insuper fortunæ telis exposita, adeò ut vel tunc, cùm maximè firmitatem pollicetur & constantiam, sæpe casu aliquo inopinato & improviso enervetur & abrumpatur. Id quod etiam hoc tempore Juveni Ornatißimo & Doctißimo DIETERICO STADLANDERO, Bonarum Literarum & SS. Theologiæ Studioso, contigisse novimus. Cùm enim is in primo ætatis flore constitutus esset, inq; curriculo Studiorum apprimè laudabili jam eos fecisset progressus, ut non modò dignus judicaretur & idoneus, qui primo quoq; tempore ad Academias*

mias & loca illustria visenda ablegaretur, sed spes etiam de ipsius ingenio & eruditione in sublimiori Facultate esset excitata præclara & singularis; ecce præter opinionem morbô opprimitur vehementi ac gravi, adeoq; illius violentiâ debilitatur intra paucos dies, ut tandem exhaustis planè absumptisq; viribus, in vera CHRISTI Redemptoris agnitione ex hac mortali & calamitosa vita discesserit.

Editus autem est ὁ μακαρίτης in hanc auram vitalem STETINI, Anno Christi 1623. die 7. Nov. intra horam 8. & 9. antemerid. Parentibus genere & virtute clarissimis: Patre nempe, Viro Spectatissimo, Prudentissimo & Honoratissimo, Dn. DIETERICO STADLANDERO, Senatore inclytæ hujus Reipubl. primario & optimè merito: Matre verò, Matronâ pientissimâ, omniumq; decorum muliebriũ laudibus maximè conspicuâ, ANNA HENSKEN.

A parentibus hisce optimis & carissimis piè & liberaliter in doctrina Catechetica & morum honestate à teneris educatus: & quia illi felicissimô ingeniô per gratiam & benedictionem Divinam ipsum præditum videbant, maturè studijs ingenuarum literarum & artium ab ijsdem addictus, & Viris eruditis atq; industrijs in ædibus privatis summâ diligentiâ informandus, fidelissimè traditus & commendatus

*datus est. Inter Præceptores istos domesticos silentio hîc minimè prætereundus est Vir Reverendus & Clarissimus, Dn. M. SEBASTIANUS WOLFGANGUS HöPFNERUS, Pastor nunc Ecclesiæ Stetinensis ad Divi Johannis vigilantissimus: sub cujus institutione privata noster ὁ ἐν ἁγίοις tantum profecit in linguis Latinâ & Græcâ, nec non in bonarum artium ac disciplinarum principiis, ut Anno 1640. circa festum Paschatos in Illustre hoc PÆDAGOGIUM utiliter & eximia cum laude sua introduceretur. Hîc ergo tantâ ingenii contentione studiis Philosophicis & Theologicis invigilare cœpit, ut in lectionibus, disputationibus, declamationibus, aliisq; utriusq; linguæ & formæ exercitationibus, diligentiam suam omnibus & singulis in Pædagogio nostro docentibus, tam publicè quàm privatim abunde probaret. Et quia SS. Theologiæ & Ministerio Ecclesiastico totum sese destinaverat atque dicaverat, hinc & in sacris concionibus habendis cum hîc tum alibi jam exercere se solitus est. Qua verò cum gratia & felicitate hoc etiam exercitii genus conjunctũ in illo fuerit, passim loquuntur ii, quos concionum suarum auditores ipse habuit. Hi enim promptam memoriam, linguam expeditam, vocis claræ moderationem, perspicuitatem & puritatem pronunciationis, aliaq; divina ejusdem dona mirificè prædicarunt*

*runt ac demirati ſunt. Unum illud hoc tempore ſuperérat, quod in votis noſter piè defunctus maximè habebat, ut videlicet de conſilio clariſsimorum & doctiſsimorum Virorum Academias celebriores adire, & majores ſtudiorum profectus aſſequi deinceps poſſet. Quare Dn. Parentis, in Suecia hactenus commorati, juſſum & præſcriptum, per literas ejusdem reſponſorias ſibi explanandum, anxio cum deſiderio quotidie expectabat. At non paſſus eſt Dominus vitæ, rerumq; humanarum moderator & arbiter, diutiùs eum in hoc labore corporis & contentione animi hærere, ſed ad quietem ſuavem, & Academiam melioribus ſtudijs & pulchrioribus exercitationibus florentem evocavit. Nam die 21. Decembr. anni elapſi 1641. Juvenis beatus malè habere cœpit, & calorem perſenſit ardentiſsimum. Mox variolis magnâ copiâ obortis tam interiora quàm exteriora corporis ita occupata fuerunt, ut fauces etiam omnino præſtringerentur, nec quicquam cibi per eas aſſumi admittive poſſet. Et licet media & remedia convenientia in tempore adhibita fuerint, vis tamen morbi humano auxilio & ſolertia expugnari haudquaquam potuit. Unde ipſe etiam ægrotus mortem inſtare facilè præſagijt: ad quam ſtrenuè devincendam neceſſaria tela ex Verbi Divini armamentario, jam antea ſibi parata, deprompſit: die quoq; 2. menſis*

*ſis*

ſis bujus Jan. Paſtori animæ ad ſe vocato ingenuam peccatorum confesſionem edidit, & fiduciam ſuam in unici Mediatoris ſufficienti lytro poſitam præclarè conteſtatus eſt; accepitq; viaticum illud cœleſte, quo inſtructus tenebricoſam mortis januam perrumpere, & ad æternæ vitæ gaudia penetrare poſſet. Ab eo tempore preces pias continuè urſit, & beatam ἀνάλυσιν cum Divo Apoſtolo Paulo ardentibus gemitibus expetiit: cumq; vox paulatim jam deficeret, nihilominus motu labiorum & manuum, precum aſſiduitatem & inſtantiam manifeſtè oſtendit. Interrogatus etiam, num memoriam Meriti CHRISTI firmiter retineret; ſignô manu datô, & pectore eádem percuſſo, animi devotionem & fidem intus latentem ſatis evidenter aperuit. Ita tandem inter vota & ſuſpiria iſta piè placideq; expiravit die 4. dicti menſ. horâ 1. pomerid. cùm vixiſſet annos 18. menſes 2. Hic ergo tam pius & placidus optimi Juvenis obitus conſolari debet Parentum hoc graviſſimo caſu conſternatos animos. Et quia talia nequaquam fortuitò contingere, ſed benigniſſima DEI voluntate immitti intelligunt; facilè acquieſcent, modumq; dolori, quamvis acerbiſſimo, ſtatuent: ne filio invidere videantur eam felicitatem, quam Ipſi quotidie votis exoptant: ad quam nullus, niſi per mortem piam, patere poteſt acceſſus.

Hujus

*Hujus itaq; Ornatissimi Juvenis piè defuncti corpus exanime cùm hodierno die ritu Christiano & honorifico sit efferendum: Studiosos Juvenes universos & singulos sedulò hortamur, ut tempore & loco consueto frequentes conveniant, nosq; in funus prodituros comitatu decenti sequantur: qua in re, quod ordinis nostri honor ac decus requirit, facient; & dilectionem, suo quondam Commilitoni debitam, isto humanitatis & pietatis officio declarabunt. Publ. propos. anno & die, ut suprà.*

